



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Explicatur natura Donationis. §. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

# TRACTATUS X. DE DONATIONE.

## CAPUT I.

### Quid sit Donatio?

#### §. I.

#### Explicatur Natura Donationis.

**Q**uamvis, ut superius diximus, Promissio acceptata in multis assimilatur, conveniatque cum Donatione in futurum, item acceptata, sed ante rei traditionem; tamen differunt etiam permaxime in multis. Nam promissio intendit dare, & solum dat Jus ad rem promissam, illud tamen ex se esse leve, quantum est ex virtute Fidelitatis, diximus in Tractatu de Promissione. At Donatio etiam in futurum intendit dare, & dat rem ipsam, transfertque dominium in Donatarium pro tempore praefixo.

2. Hinc quando Bonacina, & aliique docent, si dicam: *Dono tibi librum, quem habeo domi, unde nunc trado*, non transferri dominium libri in te, quia, inquiunt, ita Jus positivum disponit, transferri autem, si librum tibi trado, quando, inquã, sic docent, intelligunt, sive intelligere debent, non transferri cum effectu, seu executione, vel non transferri, nisi initiativè, & non perfectè, modo jam explicato.

3. Jam verò Donatio definiri communiter solet, esse *Datio liberalis*: si enim quid datur ex obligatione, seu debito Justitiæ, jam Donatio non erit, sed vel venditio, vel Restitutio, vel quid simile. At (ut verum fatear) hæc Donationis descriptio potius est adminis explicatio, quàm definitio, qui

casim, vel tenuem latinæ nitorem attrigit, jam cognoscit, donare, nihil aliud esse, nisi liberaliter dare. Et nihilominus nobis ad praxim, semper intendentibus, artificiosior definitio non est opus. Lege illam apud Onnatem.

#### §. II.

#### Quantum obliget Donatio?

**V**T id distinctius cognoscatur (& faciat etiam ad majorem explicationem præcedentis doctrinæ) quatuor diligenter sunt distinguenda.

2. Primo enim, sic potes ex animo dicere: *Promitto tibi librum v. g. hunc donare.*

3. Secundo sic: *Donabo tibi librum.*

4. Tertio. *Dono tibi librum, quem demi habeo.*

5. Quarto. *Dono tibi librum, & nunc illum trado*, illumque te ipsa tu recipis.

6. His distinctis. Prima ex his Promissio simplex est.

7. Secunda est item simplex Promissio, idem enim est dicere, *donabo tibi librum*, ac *promitto, tibi librum donare*: id, quod cum nihil aliud sit, nisi Donatio in futurum, rectè ab aliquibus dicitur esse promissio donandi.

8. Tertia est Donatio transferens dominium rei donatæ in Donatarium, sive, ut aliqui loquebantur §. præced. num. 1. sine ultimo effectu, sive executione requisita ab hujusmodi Donatione, sive, ut aliqui ibidem loquebantur, initiativè.

Quoniam verò in hac Donatione nondum adest dicta traditio, idè à Jurisperitis hæc vocatur Donatio, quæ non incipit à tradi-

a Onnate  
T. 2. de  
contr. tr.  
10. d. 30.  
sect. 1.